Cum proprio curru vi petiere senas
Castra sibi subigant terram plorantes adurant
Muros fugant hostes omnia clade terant
Interea castrum quod mons ibi dicitur altus
Munitum populo dispositumque loci
obsident instanter florentia clara fuitque
Sive subire iugo sive subire siti.
Audentes igitur latebras exire senenses
Florentinorum sunt prope castra siti
His dabat auxilium pre cunctis urbevetanus
Luca carens luce pistoriique lues
Innumeri populi comites proceresque potentes
his aderat equitum milia lecta tria.
Ecce die medio castris egressa iuventus
In florentinos impetuosa ruit
Arma viri capiunt subito mars intonat arma
Hinc bellona ferox surgit amica necis
Florentinorum colles montesque coruscant
Agminibus tot sunt quod tremat omne solum
Invadunt hostes properanter more leonum
Tela cruore madent fulmineusque mucro
Nec mora continuo periment fugantque rebellos
horrificusque timor cogit inire fugam
Et nisi nox properans nisi valcortese fuisset